

1. N. 7.

700

DISPUTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA  
DE  
CODICILLIS  
ET CLAVSVLA  
CODICILLARI,

QVAM

DIVINA FAVENTE CLEMENTIA  
EX

DECRETO ET AVTHORITATE  
MAGNIFICI ET NOBILISSIMI ICTORVM  
ORDINIS IN ILLVSTRI ET PERANTIQVA  
ELECTORALI PALATINA VNIVERSITATE  
HEIDELBERGENSI,  
P R Æ S I D E

DN. JOH. de SPINA,  
J. V. D., ET INSTIT. PROFESSORE  
ORDINARIO, PATRONO AC STVDIORVM  
SVORVM PROMOTORE MAXIME  
COLENDO,

PRO LICENTIA

*Summos in utroque jure honores & Privilegia  
Doctoralia legitime consequendi*

Solenni Eruditorum Examine submittit

CHRISTIANVS HEZLER Halâ-Saxo.

*Ad diem 4 Martii, horis, locoque solitis.*

HEIDELBERGÆ,

Diss. jur. civ. s SAMVELIS AMMONII, VNIV. Typog.  
M DC LXXXI,

515, 52

VIRIS

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,  
ATQVE PRVDENTISSIMIS  
DOMINIS

DN. GEORGIO TILEMANNO,

Grambs /

ILLVSTRISSIMÆ

S. R. I.

LIBERÆ REIPUB.

FRANCOFURTENSIS

MAXIMORUM MERITORUM

CONSULI ATQUE SCABINO &c.

DN. JOHANNI GERHARDO

Walrab /

J. V. LICENTIATO,

EJUSD. REIP.

SECRETARIO DIGNISSIMO,

Dominis Mæcenatibus, Patronis, & Affinitate conjunctis

Hanc

Inauguralem Disputationem

In signum Sui Suorumque Studiorum

Commendationem

Summâ cum Submissione

OFFERT ✚

DEDICAT


CONSECRAT

devotè

CHRISTIANVS Heiler



## C A P. I. D E N O M I N E.


 Um familiare sit illis qui Disputationes proponunt, ut Nominum derivationes eorumque varias Significationes præmittant, Ego illorum vestigia secutus, Unde Codicillus dicatur paucis exhibere non alienum putavi; Est autem Codicillus diminutivum à Codice, Codex autem à Caudice, seu arboris trunco, ex quo olim Veteres tabulas conficiebant in quibus ante repertas chartas non tantum quaslibet cautiones sed & Ultimas voluntates: annotare solebant hinc est quod tabularum Testamenti in jure nostro crebra mentio fiat, hinc bonorum possessio, quæ liberis præteritis datur, vulgò dicitur dari contra lignum, *l. quod vulgò 19. ff. de Bon. possess. contra tab.* Sic Juvenal. *Satyr. 13. & 16.* adulterinas & mendaces cautionum tabulas appellat, VANA CHIROGRAPHIA LIGNI. Erant autem tabulæ illæ Cerâ illitæ literæque stylo primùm ferreo, postea ossæo in iis exarabantur, unde factum, ut etiam CERA pro tabulis diceretur. Sic Sueton. in Jul. Quintum Pædium ex quadrante heredem instituo, reliquos in ima CERA Horat. *lib. 2. Satyr. 5.*

*Qui Testamentum tradet tibi cumque legendum:  
 Abnuere, & tabulas à te removere memento,  
 Sic tamen ut limis rapias quid prima secundo  
 CERA velit versu. solus, multisne Coheres,  
 Veloci percurrere oculo*

A 2

Et

Et si verò Authores Juris plurali numero frequentius dixerint Codicilli, *l. non est sine liberis, l. 148. ff. de V. S.* attamen & singulari numero dixerunt Codicillus *l. non Codicillum 14. l. cum antiquitas, 28. §. 1. ibi sancimus, si quis suâ manu totum Testamentum vel Codicillum conscripserit C. de Testamentis.*

Significant autem Codicilli inter alia diplomata sive literas principales, quibus honores mandantur *l. 41. ff. de Excusat. l. 12. C. de dignitat.* Hoc loco per Codicillos intelligo ultimam voluntatem minus plenam; quemadmodum igitur Testamentum Codex appellatur, Juvenal. *Satyr. 10. Codice sero Heredes Vetat esse suos*, ita voluntas minus solennis Codicillorum nomine designatur, & aliquando Codicillus dicitur.

## C A P. II.

### DEFINITIO CODICILLORVM.

Codicilli describi possunt, SUPREMÆ VOLUNTATIS TESTATIO MINVS SOLENNIS, DE EO, QVOD QVIS POST MORTEM SVAM FIERI VELIT, CITRA HEREDIS INSTITVTIONEM FACTA, Dixi Codicillos esse voluntatis nostræ supremæ testationem, quia Illi quoque ad causam Testamenti pertinent, nam & Codicilli ab intestato facti vicem Testamenti exhibent, *l. ab intestato, 16. ff. h. t.* Est autem testatio minus solennis, i. e. non secundum eas juris regulas, quæ sunt de Testamentis condendis præscriptæ, facta, Cæterum & suam quandam solennitatem Codicilli habent *l. fin. C. h. t.* Additum in descriptione, de eo quod quis post mortem suam fieri velit, quia ambulatoria est hominis voluntas usque ad extremum vitæ spiritum, *l. 4. ff. de adimend. & transferend. legat.* nec possunt  
peti

peti quæ in ultima voluntate sunt relicta nisi is qui de suis rebus disposuit mortuus fuerit, *l. unica, §. cum igitur v. C. de caduc. tollend.* Tandem testatio hæc absque Heredis institutione esse debet, atque hæc in parte quoad formam internam maximè differunt Codicilli à Testamento, quoniam Testamentum sine Heredis institutione subsistere non potest, unde hæc caput & fundamentum Testamenti esse dicitur, §. 34. *Inst. de legat.* Codicilli autem Heredis institutionem non admittunt, *l. penult. & ult. C. h. t.*

## C A P. III.

DE

### ORIGINE CODICILLORVM EORVMQVE DIVISIONE.

Origo Codicillorum à Lucio Lentulo sub Imperio Augusti caput, ut docet Imper. *Inst. h. t. in pr.* hoc autem non eò intelligendum quasi primus hic Lentulus fecerit Codicillos, sed quod Ille occasionem præbuit, ut Codicilli, quibus antea nihil efficaciter dari poterat, reciperentur, Augustus enim Imperator, explorato prius virorum sapientum consilio & sententiâ, propter necessitatem & utilitatem, quam præstent tum peregrinantibus, qui non facile inter ignotos Testamenti solennia observare possunt, tum aliis, qui propter varios casus testari de facto impediuntur, usum Codicillorum comprobavit, iisque vim obligandi tribuit.

Distinguuntur Codicilli, quod alii sint facti ad Testamentum, alii ab Inrestato, *l. cum hi, §. hæc oratio, 2. ff. de Transact. l. conficiuntur §. pr. ff. h. t.* Codicilli ad Testamentum facti, vel præcedunt Testamentum, vel illud sequuntur, vel etiam ipsi Testamento inseruntur. Præcedunt,

A 3;

quando

quando Testator primò fecit Codicillos & postea Testamen-  
tum condit; Hi ex sententia Papiniani olim non valebant  
nisi Testamento postea facto expressè essent confirmati, aut  
prior voluntas quocunque iudicio retenta probaretur, *arg.*  
*§. 1. Inst. h. t. & l. ante tabulas, §. ff. eod.* Hodie verò ex re-  
scripto Divi Severi & Antonini, cuius mentio fit allegato *§. 1.*  
*Inst. h. t.* licèt in Testamento nominatim non fuerint confir-  
mati, ipso tamen jure confirmati censentur, nisi expressè  
appareat Testatorem voluntatem mutasse & eos revocasse,  
ac proinde dicti Imperatores retentam voluntatem in-  
terpretantur, quæ mutata non ostenditur, ita ut jam muta-  
tæ voluntatis probatio incumbat Heredi, cum ex sententia  
Papiniani retentæ voluntatis probatio exigeretur ab eo, qui  
ex Codicillis quid peteret, *Schneidvv. ad tit. Codicill. pr. n.*  
*17. Vinnius Comment. Inst. h. t. ad §. 1. n. 4. Struve, Exer. 34. th. 60.*  
*Eguin. Baron. Mynsig. & DD. commun. Testamentum se-*  
*quuntur, qui post Testamentum primo loco conditum, fi-*  
*unt, in quibus aliquid vel additur, vel detrahitur Testa-*  
*mento; sic si quis oblitus fuerit quædam scribere in ipso Te-*  
*stamento, & nolit totum Testamentum rursus aperire, for-*  
*tè sigillatum & clausum, potest codicillis declarare suam*  
*voluntatem; Hos etiam sine speciali confirmatione valere,*  
*nec olim dubitatum, ut ex l. 3. §. ult. ff. h. t. apparet; Usita-*  
*tum tamen fuisse, ut etiam interdum futuri Codicilli Te-*  
*stamento confirmarentur, elucet ex l. quedam 7. pr. & l.*  
*conficiuntur §. in f. ff. h. t. sed id fieri solitum majoris securi-*  
*tatis gratiâ. Quamvis autem Testamento condito codicilli*  
*quocunque tempore facti fuerint, ad Testamentum perti-*  
*neant viresque ex eo capiant, licèt in eo specialiter confir-*  
*mati non reperiantur l. 3. §. ult. l. ab intestato 16. h. t. non pa-*  
*rum tamen interest, an Codicilli expressè Testamento*  
*confir-*

confirmati sint, an non, nam qui expressè confirmantur eo loco habentur quasi de verbo ad verbum ipsi Testamento faissent inserti *l. 2. §. 2. ff. b. t.* adeoque ad horum Codicillorum vim sollemnitas ipsius Testamenti sufficit, *l. 77. ff. de Heredit. Instituend. l. 10. ff. de Condit. Instit.* ita ut necesse non sit in eorum ordinatione illa adhiberi, quæ à Theodosio in *l. ult. §. ult. C. b. t.* præcipiuntur, quippe quod his Codicillis relinquitur perinde habetur ac si ipso Testamento relictum esset; Unde etiam est, quod relictæ Codicillis Testamento nominatim confirmatis directo quoque jure valent, at quæ Codicillis non confirmatis relictæ, sive verbis directis sive precariis, jure fideicommissi debeantur *l. 43. ff. de Manumiss. Testament. l. 2. §. ult. ff. b. t.* Ultimò denique ipsi Testamento statim inseruntur Codicilli, quando Testator per clausulam Codicillarem cavet in Testamento, ut si id jure Testamenti non valeat saltem jure Codicillorum subsistat, vel quacunque ratione ratum esse possit *l. ex ea scriptura 29. §. 1. ff. qui testam. facere poss.* de qua clausula Codicillari plura in seqq. tradam.

Ab intestato Codicilli fiunt, cum quis simpliciter, nullo condito Testamento, Codicillos facit. Hi suis ipsi viribus nituntur, suaque sponte valent & vicem Testamenti exhibent.

Dividi etiam possunt Codicilli à causa Instrumentali in scriptos & non scriptos; quamvis enim ultima voluntas minus solennis propterea Codicillorum nomen acceperit, quod scribi solita erat in tabulis ex Codicibus factis, obtinuit tamen, ut etiam nuncupata voluntas minus solennis Codicillus dicatur *l. 13. C. b. t.* quemadmodum Heredi nuncupato bonorum possessio secundum tabulas dari dicitur, licet tabulæ nullæ sint, *l. 2. C. de Bon. poss. secund. tabul.*

C A P.

## C A P. IV.

### QVINAM POSSINT CODICILLOS FACERE.

Codicillos facere potest ille solus, & illi omnes, qui & testamenta condere possunt, *l. 6. §. 3. l. 8. §. 2. ff. h. t.* Hinc Codicillos facere non possunt de statu dubitantes & errantes, *l. 9. ff. h. t. l. 1. pr. ff. de legat. 3.* quoniam illi testamenti factionem non habent, *l. 15. ff. qui testam. fac. poss.* Ratio autem traditur *in leg. preced. 14. ff. eod.* quod nempe hi certum iudicium proferre & certam legem testamento dicere non possint. Sic nec filiusfam. de bonis adventitiis Codicillos facere potest. His non est contrarius Justinianus *in pr. Inst. h. t.* loquitur enim Ille de impedimento facti, si scilicet quis de jure testari potest, sed facto aliquo e. c. quod non possit habere copiam septem testium civium Romanorum, qui ad testimonium necessarii erant, impediatur Testamentum condere, Juris Consulti verò respiciunt ad impedimentum juris, ubi ipsa legis sanctio & dispositio interdicit Testamenti factionem activam; Ex hoc rectè colligi existimo, quod is, cui statuto prohibita Testamenti factio, nec Codicillos facere possit, Bart. Alex. Jason. &c. quamvis alii dissentiant. Requiritur autem, ut ipso tempore quo quis Codicillos facit, sit habilis, *arg. l. 1. §. 8. ff. de Bon. poss. sec. tab.* neque obstat, quod Codicilli in captivitate scripti ab eo, qui in Civitate Testamentum fecerat, eo reverso, jure postliminii convalescant, quoniam horum Codicillorum principium & firmamentum jam in Civitate constitutum est, nimirum ipsum Testamentum, quo confirmati sunt, *l. 12. §. 5. ff. de captiv. & postlim. revers.*

C A P. V.



C A P. V.  
 QV ANAM FORMA FIAN T  
 CODICILLI.

Forma Codicillorum est vel interna, vel externa. Ad Formam internam pertinet, quod fiant sine Heredis institutione directâ, nam Codicillis, licet Testamento confirmati sint, directò Hereditas nec dari nec adimi potest, *l. 10. ff. b. t. l. 2. C. eod. l. 76. ad Sc̄tum Trebell.* ne jus Testamentorum & Codicillorum confundatur, & ne per Codicillos, qui ex Testamento valent, ipsum Testamentum, quod per Heredis institutionem vires accipit, confirmari videatur, *l. 7. C. & l. 10. ff. b. t.* plures hujus juris rationes proponit Verd. Vasqu. *de success. Creat. lib. 3. §. 25. n. 2.* Datur autem Hereditas per Institutionem Heredis aut substitutionem directam, quod solius Testamenti proprium est, & in nullum alium actum, sive inter vivos, sive ultimæ voluntatis, aut donationis mortis causâ conferri potest, *l. 7. C. b. t. l. 19. C. de pactis.* Sic quoque cum confirmatio in speciem directæ dationis cadat. Hereditas quæ Testamento inutiliter data, Codicillis quasi Hereditas confirmari non potest, sed ex fideicommissio petitur, salva ratione legis Falcidiæ *l. 2. §. ult. b. t.* per fideicommissum enim seu verbis precariis Hereditas Codicillis jure relinquitur, *l. 2. C. b. t.* multum autem interest utrum jure directo an ex fideicommissio deferatur Hereditas, illo enim casu daretur Hereditas immediatè ex Testamento, hoc verò ex manu Heredis, ita ut Heres deducere possit Trebelianicam, *l. 2. §. ult. b. t.* Quamvis verò Hereditatem Codicillis directò neque dari neque adimi posse manifestum sit, tamen ubi constat aliquem qui testamentum non

B

habet,

habet, Codicillos, non Testamentum facere voluisse, in ea scriptura directa institutionis verba benignâ quadam interpretatione, etsi Clausula Codicillaris adjecta non sit, ad fideicommissum trahuntur, perindeque habentur ac si legitimus heres rogatus esset, scripto in Codicillis Hereditatem restituere, *l. 13. §. 1. ff. h. t. l. 76. ff. ad SCtum, Trebell. Donell. 7. comm. 19.* Ubi autem quis Testamentum facere constituerit, quod ex defectu alicujus solennitatis, non subsistit, hoc casu ea voluntas neque jure Codicillorum sustineri potest, licet omnia Codicillorum requisita habeat, *l. 1. ff. h. t. l. 29. ff. qui testam. fac. poss.* quia ad validitatem actus Civilis non sufficit forma, si agentis intentio desit; Voluntas autem testatoris, utrum Testamentum an Codicillos facere proposuerit, ex ipso scripto plerumque declaratur, *d. l. 13. §. 1.* ex quibus facilè apparet, Codicillos non solum nomine, sed etiam specie & vi ipsâ à Testamento differre. Porro neque conditionem Heredi instituto testator Codicillis adjicere potest, quoniam hac ratione in defectum conditionis Hereditas adimeretur; Sic nec conditionem institutioni vel substitutioni in Testamento adjectam removere Codicillis Testator potest, ut pura reddatur Institutio vel substitutio; Ambigua tamen Testamenti verba in Codicillis declarari possunt, quia obscura Testamenti nudis literis, vel nudâ voluntate sine solennitate declarare possumus, nec testator, qui suam voluntatem in Codicillis declarat, nunc aliquid novi dat, vel quod dedit confirmat, sed quid datum jam ante fuerit, significat, *l. 21. §. 1. vers. quod verò ff. qui test. fac. poss.* Ludov. Roman. *cousil. 179. n. 7.* Similiter licet Hereditas Testamento data per Epistolam, seu Codicillos verbis directis adimi non possit, tamen si Testator in Codicillis declaraverit unum ex Heredibus non mereri suam voluntatem.

lunta-

luntatem , ejus portio à Fisco vindicatur , *l. 4. C. de his, quib. ut indign.*

Objectum igitur Codicillorum est Hereditas per Fideicommissum relicta , item legatorum datio eorumque ademptio vel deminutio per *l. 2. C. Commun. de legatis* , quia legata fideicommissis exæquata , eorumque natura jam confusa est , *l. 3. §. penult. ff. de adim. vel transferend. legatis* ; Item tutelæ datio & ademptio *l. 3. pr. l. 8. ff. de Testam. tutela, l. 2. C. eod.* Forma externa Codicillorum consistit potissimum in modo quo illi ordinandi sunt ; Cum enim hîc de voluntate ejus quærat , qui jam mortuus est , & mentem suam ipse exponere nequit , ideò ut de voluntate defuncti certiùs constare possit , constitutione Theodosii , quæ habetur in *l. ult. §. ult. C. h. t.* modus quidam præscriptus , qui in illis conficiendis observandus est , atque hic abundè declarat Codicillos nunc non omninò esse sine solennibus ordinationis , nempè post allegat. Constitut. Theodosii , quamvis fortè prioribus temporibus nullam solennitatem ordinationis desideraverint , ut apparet ex *§. ult. Inst. h. t.* Est autem modus ille ut declaratio hujus ultimæ voluntatis fiat , coram quinque testibus uno eodemque tempore præsentibus ; Non autem requiritur , ut testes illi specialiter fuerint ad hunc actum convocati vel rogati , sed sufficit eos vel fortuitò adfuisse , modò coram ita congregatis hæc voluntas exponatur , sic nec interest , masculi sint an fœminæ , nam & fœminas in Codillis Testimonii officio fungi posse , verius est , Reusner. *de Codicillis cap. 10. n. 12.* Carpz. *Jurisprud. for. p. 3. Const. 1. Def. 30. n. 1.* Farin. *quest. 59. n. 64. & seqq.* Mascard. *de probationib. concl. 308. n. 6.* Barry *de success. lib. 1. tit. 1. n. 10.* Bruneman. *in ff. ad rub. h. t. n. 2.* Quod si codicilli in scriptis facti sint , etiam testium subscriptio necessaria est , *d. l. ult. §.*

*ult. C. h. t.* licet Azo in *summa C. h. t.* putet; subscriptionem testium necessariò & pro forma non requiri, cujus sententia per *d. l. ult.* appertè refellitur, Subnotatio enim nihil aliud est, quam subscriptio per *l. penult. ff. qui testam. fac. poss.* Subsignatio autem testium non exigitur. Cæterum illud etiam necessarium existimo, ut testes testatorem videant, neque sufficere puto, quod interposito velo & pariete loquentem audierint, quoniam suspicio fraudis & doli, ob quam jura volunt ut testatorem testes videant, in Codicillis non minùs quàm in Testamentis locum habet, Menoch. *lib. 2. A. Q. casu 475. n. 24.* Decius *in Cosil. 354. n. 2.* Brunnem. *Comment. in ff. ad rubr. h. t. n. 10.*

Illud etiam controvertitur, num legatarii testes sint Idonei in Codicillis? Ego negativam sententiam rationi juris magis convenire existimo cum Dn. Brunnem. *ad ff. in rubr. h. t. n. 5.* Mascard. *de probat. concl. 308. n. 7.* quia in Codicillis totum negotium agitur inter testatorem & legatarium.

## C A P. VI.

### DE VI ET EFFECTV CODICILLORVM.

Effectus Codicillorum pro diversa eorum conditione varii sunt; In genere autem, quæ Codicillis jure relicta sunt, æquè præstanda veniunt ac illa quæ Testamento solenni data; Cùm verò Codicilli alii ad Testamentum, alii autem ab Intestato fiant, hinc diversa eorum vis existit. Quæcunque in Codicillis ad Testamentum factis scribuntur, vires ex Testamento capiunt, atque Testamenti jus sequuntur & cum Testamento vel subsistunt, vel corruunt, tanquam

quam Accessio & velut ejus Appendix, *l. 16. ff. h. t. l. 1. C. eod.*  
 Hinc si Testamentum irritum fit, rumpitur, vel rescinditur, etiam Codicilli hi, qui pro parte ejus habentur, *l. 14. ff. h. t.* infirmantur. Quemadmodum autem Testamenta quæ ab initio ritè ordinata, irrita facta vel rupta sunt, postea sublata causâ infirmationis, jure Prætorio convalescunt, ita simul quoque Codicilli, ad testamenta illa facti robur accipiunt, licet Ipsi eo tempore fuerint conditi, quo Testamentum fieri non potuit; Sic Codicilli in Captivitate facti ab eo, qui jam ante captivitatem Testamentum fecerat, ubi hic postliminio reversus sit, non minus quàm Testamentum viribus subsistunt, *l. 12. §. Codicilli, s. ff. de captiv. & postlimin. revers.* Aliud verò est, si in captivitate decesserit, *l. 7. ff. de jure Codicill. Dauth. de Testament. cap. qui test. fac. poss. n. 202. in fin.* Similiter si quis post factum testamentum se adrogandum dederit, & in potestate patris adrogatoris adhuc existens, Codicillos fecerit, postea verò emancipatus sit, sicuti testamentum reconvalescit, ita etiam Codicilli, hoc Testamento confirmati, *l. 8. §. 3. ff. h. t.* Idem juris est, si Testamentum agnatione posthumi ruptum eo ante patrem mortuo vires recipiat, *l. 12. pr. ff. de injusto rupto & irrit. fac. test.*

Quod si Testamentum ob non ritè factam exheredationem rescissum fuerit, hoc casu cum jure Novissimo per *Nov. 115. c. 3.* sola Heredis institutio evacuetur, cætera verò, nempe Legata, Fideicommissa, Libertates, tutorum dationes, vel quælibet alia capitula firma maneat, idcò Codicilli non infirmantur, utpote qui heredis institutionem non continent.

Ubi autem destitutum fuerit Testamentum defectu Heredis, nec Codicilli vim habent, quia Illi ad Testamen-

ti causam pertinent. Omnis autem vis atque effectus Testamenti in Heredis aditione & existentia consistit, hinc *l. 3. §. ult. ff. h. h. t.* dicitur, si ex Testamento Hereditas adita non fuerit, Fideicommissum ex hujusmodi Codicillis nullius momenti esse,

Quæritur autem, quem effectum habeant Codicilli, facti ad Testamentum, quod ab initio ipso jure non valuit, fortè ex causa præteritionis sui heredis jam nati, vel ex alia justa causa. Puto hos Codicillos non posse intelligi pendere à Testamento quasi ab eo confirmatos ac proinde etiam ex tali vitio Testamenti ipsos non vitiari, cum enim Testamentum nunquam valuerit, nec valere potuit ad confirmandos codicillos.

Hæc de Codicillis ad Testamentum factis. Codicilli ab intestato qui fiunt, suis ipsi viribus nituntur & vicem Testamenti exhibent; His ab intestato venientes rogati consentur, ut Codicillis relicta præstent; quicumque igitur Intestati successor erit, sive legitimus sive honorarius, etiam ille qui postea natus, defuncti voluntatem implere tenetur, *l. 3. pr. l. 8. §. 1. l. 16. ff. h. t.* adeoque Codicilli ab intestato facti, non rumpuntur agnatione posthumi, *l. 19. ff. h. t.*

Si plures sint ab intestato heredes, perpenditur utrum Fideicommissum nominatim sit relictum à certâ personâ, quæ vult & potest succedere ab intestato, an verò generaliter sub appellatione Heredum vel quisquis mihi Heres erit, Posteriori modo, quicumque Heres extiterit, tenetur Unus in solidum, si plures, singuli pro partibus Hereditariis obligantur, nam ex *L. 12. Tabul. fidei commissorum & legatorum* petitio adversus Heredes pro partibus Hereditariis tantum competit, Ita ut pro Illis, qui non sunt solvendo onerari coheredes non oporteat, *l. 33. pr. ff. de leg. 2.* Priori casu

casu regulariter is solùm , qui gravatus est , totum fidei commissum relictum præstare tenetur, *l. 14. in f ff. S. r.* Hinc si quis intestatus decedens nominatim ab eo, qui primo gradu illi succedere poterat, fidei commissum dederit, hic verò repudiaverit Hereditatem legitimam, atque sic ad sequentem gradum devoluta fuerit successio , fidei commissum non debetur , per *l. 1. §. penult. ff. de legat. 3.* Quod si verò, duo ejusdem gradus essent , & unus partem suam repudiaverit, coheres, cui gravati portio accrescit, fideicommissio obstringitur, quoniam is in portione accrescente similis est substituto , post rescriptum autem Severi fideicommissa ab Instituto relicta etiam à substituto debentur , *l. 61. §. 1. ff. de leg. 2.* Deinde , si quis , cum existimaret aliquem sibi solum Heredem futurum Codicillis factis fideicommissa ab eo reliquerit , postea autem jus successionis legitimæ ad duos ejusdem gradus devolutum sit , pro parte dimidia Ille relevatur, *l. 77. §. 29. ff. de leg. 2.* Unde etiam si quis ignorans uxorem suam esse gravidam , Codicillos fecerit, & filium jam natum quodam fideicommissio oneraverit , tunc postea nata posthumâ, si res per fideicommissum relicta, divisionem admittat , filius pro parte tantùm tenetur, quia ex præsumptione legis , pater non creditur filium adeò onerare voluisse, nisi solum putasset successorem sibi futurum ; Si fideicommissum pro parte præstari non possit, nihil debetur , *l. penult. ff. h. r.* filia posthuma autem fideicommissio hoc non obstringitur, quia pater à filia nihil petiit , nec illum quicquam de ea sensisse constat, cùm gravi utero uxorem esse ignoraverit, *l. 11. ff. h. r.*

Alius porrò effectus Codicillorum consistit in actionibus, quibus res Codicillis relictæ peruntur, qua in re variant. Interpretes, prout videre est apud Reusner. *tract. de Codicillis*

*cillis cap. 26.* Ego verò sentio, quoniam quæ Codicillis relinquuntur ad instar fideicommissorum valent, ideò si universa bona Codicillis relicta sunt, extraordinariam persecutionem locum habere, per *l. 178. §. 2. ff. de V. S.* quia fideicommissaria Hereditatis petitio ordinaria adversus eum qui restituit, locum non habet, *l. 3. §. 1. ff. de fideicomm. Heredit. petit.* sed restitutâ, nempe verbo, Hereditate contra tertium possidentem, pro Herede aut possessore competit. Sin verò res particulares per fideicommissum relictae actiones, quibus legata petuntur, competere dico, propter exæquationem legatorum & fideicommissorum.

Illud adhuc in genere adjicere lubet, si plures sint facti Codicilli, omnes valerel; Et quamvis in Testamentis hoc jus sit, ut prius Testamentum per posterius tollatur, *§. 2. Inst. quib. mod. test. infirm.* & in legatis & fideicommissis novissima voluntas spectetur, *l. 12. §. fin. ff. de legat. 1.* tamen plures Codicilli diverso tempore & de diversis rebus facti, valent, nisi appareat testatorem per posteriores prioribus derogare voluisse, *l. 3. C. de Codic.* non enim servantur illa, de quibus defunctus novissimè aliter judicavit, *l. 5. ff. h. t.* Ratio quoque diversitatis satis manifesta est, quia in Testamento Heres instituitur, & universa Hereditas relinquitur, jus enim nostrum non patitur, ut quis pro parte testatus & pro parte intestatus decedat, *l. 7. ff. de R. I.* Uni verò testatori duo in solidum Heredes esse non possunt. In Codicillis autem directò Hereditas non datur, nec adimitur, neque in illis de universa successione, sed de fideicommissis & legatis agitur, ideò posteriores prioribus non derogant, nisi testatori aliud placuerit.

## CAP. VII.



C A P. VII.

DE CLAVSVLA CODICILLARI  
EJVSDEMQUE VI ET POTESTATE.

Codicillus solet aliquando statim ipsi Testamento inseri, *ut dixi supra in cap. 3.* Quod si fiat, dicitur Testamento apposita Clausula Codicillaris, cujus formulæ variæ reperiuntur in jure, inter quas præcipua hæc est, si non valet jure Testamenti, vel ut Testamentum, quod feci, aut disposui, Codicillorum vice & jure valeat; vel si Testator dicat aut scribat, hoc Testamentum volo esse ratum quacunque ratione poterit, aut, omni meliori jure & forma, qua valere potest, valeat, *l. ex ea 29. §. 1. ff. qui testam. fac. poss. l. si miles, ff. de milit. Test. l. Lucius 88. §. fin. ff. de legat 2. l. ult. §. 1. C. h. t.* Ita post multos alios sentit etiam Menoch. *lib. 4. præsumpt. 31. n. 9.* imò potest illa exprimi per quælibet verba, quibus significatur enixa Testatoris voluntas, quod velit quælibet ratione valere ultimam suam voluntatem, Menoch. *lib. 4. præsumpt. 31. n. 13. & 14.* nec quicquam interest, sive ad præsens, sive ad futurum tempus Clausulæ verba referantur, quia sufficit Testamentum non valere eo tempore quo de ipsius viribus quæritur. Hujus Clausulæ Codicillaris maximus est usus, & nulla fere Testamenta reperiuntur, quæ sub hac Clausula concepta non sint, cum enim Testamenta non nisi multis solennitatibus conficiantur, & multis subjaceant impugnationibus, hinc Testatores Clausula hac Codicillari in Testamentis suis uti cæperunt, per quam omnis dispositio, quæ primum collata erat in Heredes scriptos, jam dirigitur in Eos, qui ab Intestato veniunt, & hi rogati sententur Hereditatem, cæteraque in Testamento relicta, salvâ Legitima, & trebellianica, cæteris paribus, restituere iis, qui

C

qui

qui in ipso testamento Heredes instituti, aut quibus aliquid per Fideicommissum aut Legatum relictum est, *l. penult. §. 17. ff. de legat. 2.* Unde apparet Clausulam Codicillarem trahere successionem ex testamento ad causam intestati. Quamvis autem Dd. disputent, an præsumenda sit hæc Clausula in dubio mandato testatoris, an vero pro consuetudine tantum à Notario addita, verior tamen & rationi juris magis conveniens sententia Illam præsumi voluntate testatoris ad scriptam, cui etiam explicata à Notario censetur *arg. §. idem verbor Oblig. 11. & §. si script. 15. inst. de Inult. stipulat. Menoch. lib. 4. presump. 31. n. 1. & lib. 2. A. 2. cas. 144. n. 9. Brunneman. ad l. ult. C. h. t. Dauth. de Testament. n. 365. Fab. turrel. in tract. Claus. Codic. quest. 4. effect. 4. n. 3. & alii.*

Clausula autem hæc Codicillaris nominatim exprimi, & apertissimis verbis testamento inseri debet, nisi enim fuerit expressa, illa non subintelligitur, *l. 41. §. quod si 3. vers. quæ ita locum habet ff. de Vulg. & pupill. substit. l. ult. §. 1. C. h. t. l. 1. l. 13. §. 1. ff. h. t. l. 11. C. de Testam. manum.* quod adeò verum esse existimo, ut ne quidem præsumenda hæc, licet pater inter liberos testamentum fecerit, *arg. alleg. l. 41. §. 3. ff. de Vulg. & pupill. substit. l. ult. §. 2. C. h. t. l. 5. C. de fideicom.* deinde Codicillaris Clausula à sola testatoris voluntate pendet, *l. penult. §. ult. ff. de leg. 2.* Voluntatis autem quæstio facti est, *l. voluntatis 7. C. de fideicom.* & quæ facti sunt, à jure nunquam supplentur, *l. 12. §. 2. ff. de Captiv. & postlim. revers. l. 19. ff. ex quib. caus. maj.* Denique si testamentum parentum inter liberos ex tacita Codicillari Clausulâ posset sustineri, quid fuisset opus Imperatorum Constitutionibus, quibus inductum est ut testamenta parentum inter liberos etiam imperfecta valeant, *l. hac consultiss. 21. §. ex imperfecto 1. C. de Testam.* Cum itaque testamenta hæc ex  
 Impera-

Imperatorum Constitutionibus valeant & subsistant jure Testamentorum, nullus potest esse usus Clausulæ Codicillaris. Atque ita sentiunt Vaud, *lib. 1. quest. 27.* Claud. Chifflet. *de jure fideicom lib. 3. c. 3. in pr.* Ant Fabber. *Decad. 36. pragmat. err 1.* quamvis alii multi dissentiant, idque etiam ad piam causam extendant, Menoch, *4. præf. 31. n. 18.* Tiraq. *in tr. de priv. pia causa, privil. 92.* quorum sententiam impugnat, Ant. Fab. *alleg. Decad. 36.* Ex eadem ratione nec in militari Testamento Clausulam Codicillarem tacitè subintelligi statuo, etenim imperfectum militis Testamentum, non vi clausulæ Codicillaris, sed singulari privilegio, militibus favore militiæ ob legum imperitiam concessio, valet & Principum Constitutionibus confirmatur, *l. 1. in pr. l. 2. cum seqq. ff. de milit Test.*

Subvenit hæc Clausula non omnibus Testamentis sed imperfectis quibus solennia desunt; Itaque si Testamentum faciat, qui Testamenti factionem non habet, frustra adjicit Clausulam Codicillarem, *l. 6. §. penult. ff. h. t.* Hinc quamvis filius fam. permisso patris adjecerit Clausulam Codicillarem, voluntas tamen ejus ne quidem instar mortis causa donationis valere potest, Ant. Faber, *Decad. 20. de err. pragmat. err. 5.* Quod si tamen filius fam. sui juris factus Codicillos vel ejusmodi Testamentum, cõfirmet & adhuc valere velle declaret, Codicilli illi vires accipiunt, *l. 1. §. 1. ff. de leg. 3.* licet secus sit in Testamento, cui clausula illa non est annexa, *l. 19. ff. qui test. fac. poss.* Deinde non supplet hæc Clausula voluntatem Testatoris, si ea sit imperfecta. Carpz. *lib. 6. Resp. 7. n. 11.* Mantic, *de Conject. ult. volunt. lib. 5. tit. 2. n. 9.* Befold, *cons. 154. n. 45.* Brunnem, *ad l. ult. C. h. t. n. 3.* si de voluntate testatoris non constet, *l. 11. §. 1. ff. de legat. 3.* si testator inceperit scribere ultimam voluntatem, illam autem ad finem non perduxerit, *l. 29. pr. ff. qui testam. fac. poss.* vim autem habet hæc Clausula, quando in ultima voluntate observata quidem sunt ea, quæ ad Codicillos sufficiunt, sed in iis quæ ad testamenti formam requiruntur, aliquid deficiat, *arg. l. fin. §. 1. C. b. t.* Hinc

1 Hinc sustinetur 1. per Clausulam Codicillarem illa voluntas ultima, circa quam solennia Testamenti haud fuerint observata, e. g. si testes non fuerint rogati, vel tantum quinque adhibiti; nam hic numerus in omni ultima voluntate, excepto Testamento, requiritur. *l. ult. §. ult. C. h. t. l. 14. §. 29 C. de fideicom.* 2. si circa Heredis institutionem defectus aliquis appareat: ut si ea planè sit omissa, & solum legata relinquuntur, aut si filius præteritus vel non legitime exheredatus, ille enim virtute hujus clausulæ, præsumitur rogatus restituere Hereditatem scripto Heredi, *arg. l. 24. §. 11. ff. de fideicom. libert.* Menoch, *l. 4. pres. 32. n. 2.* Ant. Fab. *de Claus. Comm. concl. 7.* utique si Testator ex certa scientia filium præteriit, aliud si per ignorantiam hoc fecit, quoniam ignorantis nulla est voluntas Menoch, *dicta pres. 32. n. 3.* Idem juris est si posthumus præteritus sit, si nempe Testator sciverit uxorem esse prægnantem, *arg. l. 11. l. 19. ff. h. t.* Imò si testator posthumum, (*h. e.*, eum qui post Testamentum factum natus est, nam & ille posthumi nomine venit) etiam per ignorantiam præterierit, verum postquam ille natus fuit, diu supervixerit & Testamentum interim non mutaverit, Clausula Codicillaris adjecta, & hoc casu operatur fideicommissum. Hondedæus. *Cons. 63. n. 41. & cons. 74. n. 30. & 60. vol. 1.* Myns. *resp. 74. n. 46. & 47. decad. 8.* Ubi vero nato istiusmodi posthumo Testator repentinâ morte præventus non potuit mutare Testamentum, hoc casu illud per Clausulam Codicillarem in vim fideicommissi non sustinetur, quia Clausula Codicillaris operatur ex præsumpta Testatoris voluntate, præsumptio autem est hîc, quod pater Testamentum fuisset mutaturus, nisi repentina mors supervenisset, Menoch. *lib. 4. pres. 32. n. 36.* Ex his jam liquet, non esse illam concedendam regulam, Eum qui testari voluit non præsumi velle Codicillari, quoniam ex hac Clausula adjecta apparet voluntatem Testatoris fuisse ut in omnem eventum ultima voluntas jure Codillorum subsistat.

sistat, Brunnem. *ad l. ult. C. b. t. n.* 10. Pantsehmann. *lib. 2. quest. 14. n. 13.*

Illud adhuc sciendum est, cum Clausula hæc Codicillaris per quælibet verba, quibus enixa Testatoris voluntas significatur exprimi possit, eam adjectam censerem, si Testator Testamento jusjurandum inseruit, atque illud sub fide jurisjurandi servari voluit, Gail. *lib. 2. Obs. 114. n. 14.* Menoch. *lib. 4. præf. 31. n. 13.*

## C A P. IIX.

### DE CODICILLORVM INFIRMATIONE.

Reliquum est, ut paucis de Codicillorum Infirmitate agam. Infirmitur autem Codicilli duobus modis, Uno modo principaliter & per se, contrariâ voluntate, declaratâ, vel nudis verbis, coram quinque testibus, vel factô, aliis Codicillis contrariis conditis; Altero modo infirmitur per consequentiam infirmati testamenti, illo casu, quo â Testamento omninò dependent, cum enim illi ad Testamentum pertineant, & pars ejus intelligantur, atque vires ex illo capiant, hoc infirmato & Codicillos infirmari necesse est, nisi ex Codicillis appareat, quod infirmato licet testamento Defunctus eos nihilominus abintestato valere voluerit.

Sed de hisce & aliis hûc pertinentibus pluribus agere prohibet, tum temporis angustia, tum Instituti nostri ratio, Labori itaque huic Colophonem imponentes filum abrupimus.

DEO TER OPTIMO MAXIMO  
SIT LAVS, HOHOR ET GLORIA.

**S**cribis HEILER Codicillos; scribis hos doctissime,  
Promis hanc Inauguralem, Codicisque filiam:  
Auguror Tibi perenne Commodum cum gloria.


Ultima prodit voluntas Codicillis his Tuis  
Sic & Vniversitatis ultimas Musis manus  
Laude plenus addis inde Gratulor laboribus!

Vive CANDIDATE clare vive quam longissime;  
Patriæque vive nostræ; vive Musis, Fratribus!

*ἀλνφύχως νοοει sed fugaci crena*

GEORGIUS FRANCVS

Med. & Phil. D. P. P. Vniversit.  
Pro-Cancellarius.



CHRISTIANVS HEILERS.

*ἀναγραμματικῶς,*

HINC VIRET HERIS SALVS.

**E**st est Virtutis mater labor improbus altæ,

Est laus impigræ filia certa manus.

Hactenus in Vasto legum tua codice cura.

Multa fuit : Leges discere cura fuit.

Nec tua cura fuit frustra : Sapientia legum

Implevit mentem suspicienda tuam.

HINC tua fama VIRET, noménque, HEILERE! salubre

Omniae, replebit jura salute fori

Litibus adffictas mentes Sanabit, HERISque

HEILERI Augustis proderit ampla SALVS.

O benè ! Sic titulos HEILERI HEILERE merebis,

Sic aliis sanus, sic tibi sanus eris.

Et dabit eximios tibi Justinianus honores,

Sanabitque haustas sumtibus almus opes.

*Honori*

Nobilissimi nec non Clarissimi

DOMINI CANDIDATI

cum

Post comparatam in diversis Academiis

juris peritiam eximiam

Pro



Und seht ob nicht diß grosse Werck bestehe  
 Auß Müß und Wis / der in des Himmels Höhe  
 Blut Erd und Meer und dann / die Lufft erhält  
 Befihlt durch Fleiß und wasserreiche Wangen  
 Glück Ehr und Kunst und Reichthumb zu erlangen.

Glück Ehr und Kunst und Reichthumb suchet ER  
 Hochwerter Freund / durch sein gelehrtes Schwitzen /  
 Durch blassen Fleiß und nimmersattes Sizen :

Wenn Cynthia mit ihrer Ampeln Heer  
 Auff's Sternen Dach das Silber außgeschencket /  
 Ward seine Lamp auff's neu mit Del geträncket.

Der Gatten-Schuhl kennt seinen muntern Fleiß  
 Und Myrrenstatt muß ihn den Kranz verehren  
 Den Sweiß und Fleiß und wolgesestes Lehren

Vom Gemächts Brieff-Recht verdient mit Ruhm  
 und Preis.

Mich dünckt es würd auß den vermachten Gaben  
 Astræens Gunst Ihn mit der Schönsten laben.

Er zeichnet auff was ihre Güter sind /  
 Die stets erlangt der traueste der Erben /  
 So kan sein theil im wenigsten verderben

Der besser ist als Häuser Geld und Kind :  
 Der Ehre Gold und unverwelcktes Rühmen  
 Wird Seinen Schweiß mit Schnecken-blut beblümen.

Des Zoils Bahn verspricht Ihm isund Ruh /  
 Astræens Gunst zeigt Ihm der Ehre Zinnen /  
 Fortuna will Ihm Kunst und Lieb gewinnen /

Und Paphia setz diesen Kuff darzu :

Herr HEZLER soll viel Glück und Heyl ereilen.  
 Und all im Recht erlittene Schäden heilen.

Zu gutem Andencken lang gepflogener  
 Bekant- und Freundschaft dem Herrn  
 Autwortern Glückwünschend

A. G. Geiern J. U. L.